AD

PUBLICAM EXPLORATIONEM

PROGRESSUUM

QUOS

JOANNEI LUNEBURGENSIS

CLASSIUM OMNIUM DISCIPULI IN HUMANITATIS STUDIIS FECERUNT

DIEBUS IV. V. VI. IX. M. APRILIS MDCCCXXXVIII

IN AUDITORIO GYMNASII MAXIMO INSTITUENDAM

ET

AD ORATIONES SCHOLASTICAS

DIE VII. M. APRILIS AB HORA MATUT. IX. AUDIENDAS

GYMNASII PATRONOS EPHOROS FAUTORES

DISCIPULORUMQUE PARENTES

EA QUA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAT

CAROLUS FRIDERICUS HENR. ALBERT. HAAGE

PHIL. DR. IOANNEI DIRECTOR.

INSUNT:

I. Gravenhorstii Collaboratoris Commentatio de caussis corruptae post bellum Peloponnesiacum apud Graecos artis tragicae.

II. Annales Gymnasii.

LUNEBURGI, MDCCCXXXVIII.

1838

De caussis corruptae post bellum Peloponnesiacum apud Graecos artis tragicae.

Diu est, ex quo viri doctissimi et illustrandis tragoediae Graecae reliquiis felicissime operam navaverunt, et historiam hujus poesis a caussis et principiis suis deducere studuerunt: neque desunt, qui poetas eos, quorum integra nulla superest fabula, singulis quibusque versibus diligenter undique collectis, quantum fieri potest, in vitam revocare conati sint. Sed his fere finibus illorum cura coercetur, ut, qui Euripidi et Sophocli aequales fuerunt, veluti Agathon et quos alios a comico saepius laudari vel derideri videmus, hi potissimum animos ad se converterint; qualis post Euripidem tum Sophoclem mortuos fuerit artis tragicae condicio, et quomodo factum sit, ut post breve tempus corrumperetur atque adeo deperiret, nemo dum accuratius investigare voluit. Nimirum nascentem mox florentem iucundius est artem contemplari, quam supremos deflere casus tantaeque quasi ruinae caussas inquirere.

Atqui quum nullum nobis ex hoc tempore supersit artis tragicae monumentum, tamen ne prorsus caeci erraremus, casu felicissimo factum est, ut duo nobis libri conservarentur, Aristotelis Poeticen dico et Ranas Aristophanis. Quamquam enim hac comoedia Euripidi potissimum detrahi videtur, nihilo tamen minus, quam in Nubibus Socrates philosophorum, tragicus ille poeta totius generis partes suo nomine sustinet, *) ut neque omnia, quae Aristophanes Euripidi crimini vertit, apud hunc revera ita inveniantur, neque, si in alios magis etiam haec dicta arbitre-

---

*) Aliter de Euripidis in fabulis Aristophaneis persona iudicat Ed. Müller, vir doctissimus et poeticae virtutis intelligentissimus »Geschichte der Theorie der Kunst« et alibi et p. 280 sqq. Sed ita non solum Euripides magis etiam quam par est vituperari, sed etiam Aristophanes quodammodo non comicus, sed, quod multo est vilius, satyricus poeta haberi videtur.

mur, magnopere errare possimus. Tametsi negari non potest, Euripidem ut poetam praestantissimum ita in quibusdam rebus subsequentis vitiositatis ducem fuisse et exemplum. Magna enim ingenia saepe aut antevertunt aut retardant saeculi sui impetum. *) Et comicus ea ipsa signa et levia corruptelae indicia sagacissime indagavit, quae postea in maius aucta omnem divinae artis pulchritudinem deformaverunt. Aristoteles autem quamquam pro sua artis tragicae definitione aliter interdum ac nos de eo iudicat quod pulchrum sit, tamen quae est huius viri immensa doctrinae et ingenii copia, ad eas res peritissime animum attendit, quae in hac quaestione gravissimae sunt. Hos igitur maxime duces secuti, adhibitis simul quae de relicuarum artium tum temporis fortuna accepimus, quaeque e tragoediae antiquae ingenio concludi atque effici videbuntur, non solum imaginem aliquam, qualis illo tempore fuerit Atheniensium tragoedia, informare sed etiam, quibus caussis acciderit ut pessum daretur et evanesceret, quaerere poterimus.

Ac primo quidem loco ponendum est ipsum illud bellum funestissimum, quod, cum totam fere Graeciam incendio suo corripuisset, quicquid pulchri honestique Athenis procreatum et excultum erat, priscam morum integritatem, virtutem sui immemorem patriaeque amore ardentem extinxisse et interemisse videtur. Et cum multa etiam postea a Graecis fortiter et praeclare gesta sint, tamen tantum abest ut cum Themistoclis et Periclis aetate comparari queant, ut utriusque temporis tractum contemplantes vix eiusdem gentis facta videre nobis videamur. Manserunt sane duraveruntque in communi ruina quasi firmissimo fundamento fultae literarum Graecarum laudes, optimique scriptores et poetae etiam post illud bellum opera condiderunt immortali gloria digna: omnia tamen ea vel doctrinae vel artis genera, quae a vita communi pendent, aliquam certe notam traxerunt, eaque una disciplina, quae non modo libera prorsus est a turbis civilibus vitaeque molestiis, sed nescio quo pacto alitur atque augetur publicae virtutis desiderio, philosophia inquam corruptelae fuit immunis, unusque Plato victor evasit ex tanto certamine. At poesis et quidem tragica, quae gravitate aliqua constat, animumque inhonestis purgare studet perturbationibus, fieri non potuit, quin labe aliqua et contagione vitii aspergeretur. Sicut enim animi Graecorum tranquillitate et constantia omissa in cupiditates plerique proni ruerunt: ita nec in poesi amplius iusta semper mensura et emendata aequabilitate utebantur, sed artificiosas quasdam illecebras ingeniique ostentationem ei, quod vere pulchrum atque honestum est, praeferebant.

Ita cantica, in quibus apud Aeschylum summa reperitur aequabilitas, propter

*) Simile quid deprehendas in Ovidii ingenio et arte poetica, qui cum Euripide tum aliis in rebus tum vero propterea comparari potest, quod et ipse subsequentis aetatis vitia quodammodo occupavit.

artificiosam et exquisitiorem, quae nunc requirebatur, affectuum imitationem (*μίμησιν*) numerorum repetitione antistrophica carebant, et, quales hic illic apud Sophoclem et Euripidem legimus, numeri soluti (*ἀπολελυμένοι*) pluris aestimabantur. Et quia difficile nec sine magnis sumptibus *) satis multi parari poterant cantandi saltandique adeo periti, ut crebras numerorum mutationes sequi et exprimere possent, ab histrionibus ipsis plerumque haec monodice canebantur, choroque carmina assignabantur aliunde desumpta (*ἐμβόλιμα*): quod quum primum ab Agathone ita institutum esset, nemo, quantum ex Aristotelis verbis colligas, **) meliorem rursus viam ingressus est. Qua re factum est, ut utilitas omnis, quae e chori persona comparari posset, funditus tolleretur. Quid enim aliud efficitur interpositis tribus quatuorve cantionibus a fabulae argumento prorsus alienis, nisi ut animi spectatorum diversis oblectationibus distrahantur, tragoediaeque momentum ac pondus omnino elevetur? Melius profecto de arte tragica actum esset, si poetae Chorum e theatris eiecissent. Verum ea fuit Graecae gentis indoles, ut, quicquid vel principis poetae auctoritas iussisset vel consuetudinis usus sanxisset, id in omne tempus normae quasi ac regulae instar haberetur, atque ita tragoedia, quippe quae e choris in Dionysi honorem ductis nata esset, hoc semper retinuit huius originis vestigium, ut chori partes quamquam reapse inutiles et otiosae, abesse tamen nullo modo posse viderentur. Apparebit igitur, historiam huius poesis contemplantibus, quum quasi per gradus semsim deprimi et imminui videatur Chori auctoritas, eo tantummodo tempore perfectas ac vere pulchras tragoedias condi potuisse, quo actorum singulorum et chori personae tanquam pari aliquo momento inter se exaequarentur. Ita Aeschylus quamquam saepe Choro vel primas dedit, multum tamen a Phrynicho recessit, ***) qui lyricus magis quam tragicus poeta non tam in iusta actione describenda quam in mollibus ac flebilibus modis inveniendis studium suum posuisset. Parcius etiam Sophocles chori persona usus actionem ipsam per reliquos exhiberi, et plerumque Chorum, quos in spectatorum animis sensus excitare vellet, iisdem illum agitatum et permotum cantica sua interponere iussit. Praeclare sane ac feliciter, quamquam non eodem uterque modo, hi quidem viri in ea re versati sunt. Pluribus autem hoc persequi neque huius loci est, et ante me viri doctissimi eam rem luculenter demonstraverunt. Hoc loco animadvertisse sufficiat, quum Euripides

---

*) Temporum iniquitas et diminutae Atheniensium divitiae etiam choregiae tragicae impensus restrinxit. Quae propterea inde ab Archonte Callia a. 406 a Chr. n. in duos distributae sunt v. Aristot. apud Schol. ad Ran. Arist. v. 406. et Boekh Staatshaush. der Athener I. p. 485.

**) Arist. Poet. XVIII, 22. *τοῖς δὲ λοιποῖς τὰ ᾀδόμενα οὐ μᾶλλον τοῦ μύθου ἢ ἄλλης τραγῳδίας ἐστί· δι' ὃ ἐμβόλιμα ᾄδουσι, πρώτου ἄρξαντος Ἀγάθωνος τοιούτου.*

***) Huc referenda Aristotelis verba Poet. IV, 16. *τὰ τοῦ χοροῦ ἠλάττωσε.*

interdum ab illorum arte in Chori persona informanda abhorreat, et saepe magis exornandi et variandi caussa quam ut fabulae gravitatem sustineat et augeat, carmina sua fecisse videatur: post Agathonis illud iuventum supervacaneam prorsus atque adeo damnosam fuisse Chori personam.

Neque vero monodiae illae, quarum supra mentionem iniecimus, tragoediae dignitatem admodum augere poterant, *) praesertim quum vehementiores semper animi affectus exprimerent, et frequentius adhibitae impedirent, quominus aut actio accuratius explicaretur aut mores dilucide adumbrarentur. Illae enim cantiones iam caput et nobilissima tragoediae pars esse credebatur: in his summa omnino saltandi canendi agendi ars conspiciebatur: denique fabulae eventus et personae principis fortuna hic plerumque in ipso versabatur discrimine. Posthabitis igitur iis rebus, in quibus maxime tragica virtus cernitur, iam ad lyricum atque adeo dithyrambicum genus haec poesis quodammodo se convertit et conformavit. Immo, si quidem recte hoc ex quibusdam illius temporis dithyramborum titulis **) concluditur, utrumque poeseos genus ad alterum se applicuisse et poetas dithyrambicos rursus personarum tragicarum monodias ita composuisse credibile est, ut uno carmine lyrico totius fere tragoediae argumentum complecterentur. Qua quidem re nemo non videt studium tragoediarum per singulas omnes partes diligenter elaborandarum imminui oportuisse. Eodem modo postea accepimus apud Romanos propter ludos pantomimicos, qui comparari aliquo modo possunt cum dithyrambicis his carminibus, abolita esse et evanuisse cum populi tum poetarum in poesi dramatica studia.

Huc accedit etiam alia res, quae, simili ratione, atque in Choro vidimus, ab initio quidem laudabilis et admirabilis, summam Aeschylo Sophocli Euripidi utilitatem praebuit maximamque peperit gloriam, posthac tamen eadem vitii aliquod semen continuisse mihi videtur. Quid enim commodius accidere poterat iis, qui primi sortem humanam cothurno tragico exhibere conati sunt, quam ut in mythorum beatis fontibus copiam imaginum haurirent largissimam, quae cum partem longe maximam per se poeticae magis quam historicae essent originis, tum omnes, quia tempori certe nulli adscriptae essent, facillime reciperent communem aliquam sortis humanae contemplationem. Felicissime igitur Graecis fortuna hoc obtulit,

*) Quamquam de suo tempore loquens, tamen non inepte hic Lucianus audiatur de saltat. c. 27. qui inter alia ita: *εἶτ' ἔνδοθεν αὐτὸς κεκραγὼς ἑαυτὸν ἀνακλῶν ἐνίοτε καὶ περιᾴδων τὰ ἰαμβεῖα καὶ τὸ δὴ αἴσχιστον μελῳδῶν τὰς συμφορὰς καὶ μόνης τῆς φωνῆς ὑπεύθυνον παρέχων ἑαυτόν.*

**) Philoxenus in hoc genere elaboravit, cuius Cyclops drama an dithyrambus fuerit, cum veteribus (Arist. Poet. 1, 6. Schol. Arist. Plut. 290. 298. Aelian. V. H. XII, 44. Athen. p. 6. 7. 564.) etiam nos ambigimus.

oblatum prudentissime poetae in usum suum converterunt. Nam si a Phrynichi expugnatione Mileti, ab eiusdem Phoenissis Aeschylique Persis discesseris, nullum praeterea inveneris quod a fabula seiunctum sit tragoediae antiquae argumentum. Posthac in legem mos abiit. Hor. ad Pis. 129.

Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota indictaque primus.

Ex quo enim tot tamque praclarae tragoediae ex argumentis mythicis desumptae oculis Graecorum oblatae erant, iam fere nefas habebatur relinquere campum tot luminibus illustratum, et per invias quasi regiones ingredi velle. Neque enim, quum Agathon exhibita Ἄνθει *) alia tentasset, et, si fides Aristoteli, laudem reportasset, eius exemplum multi secuti sunt, quantumque ex titulis colligas, adhuc unus Theodectes feliciter et ipse a fabula recessit, quum Mausolum tragoediam doceret **) in certamine illo rhetorico et ut videtur poetico, quod ab Artemisia in mariti honorem magna cum celebritate institutum esse fertur. Relicui fere omnes in iisdem fabulis, quae a principibus illis triumviris tractatae erant, et ipsi elaboraverunt. Et cum simplicissima quaeque et optima plerumque ratio ab illis occupata et praecepta esset, factum est, ut aut novandi caussa artificiosius quam pulchrius rem instituerent, ***) aut rerum expositione subtiliore prorsus neglecta aliis rebus oblectationem quaererent. Atque hoc quidem plerumque factum esse et per se consentaneum est, et, cum apud Aristotelem †) legamus, circa paucas familias, ut circa Oedipum, et Alcmaeonem et Orestem et Meleagrum et Telephum et Thyestem, optimas quasque tragoedias versatas esse, maxime fit probabile. Immani enim facinorum atrocitate hae fabulae, etiamsi minus accurate enarratae et expositae essent, tamen spectatorum animos vehementissime permovere et percutere posse videbantur. Sed qui in deducendis et contexendis singulis fabulae partibus curam et operam ponere conabantur, illi tantum aberat, ut quemadmodum Antiphanes comicus ††) dicit, utilitatem inde haurirent, quod res enarrandae in vulgus notae erant, ut Aeschyli Sophoclis Euripidis exempla illorum luminibus maxime officerent. Rarissime profecto uni alterive poetae contigit, ut reconditam ab Aeschylo eiusque similibus neglectam

---

*) Arist. P. IX, 7. *ὁμοίως γὰρ ἐν τούτῳ τά τε πράγματα καὶ τὰ ὀνόματα πεποίηται· καὶ οὐδὲν ἧττον εὐφραίνει.*

**) Gell. X, 18. exstat nunc quoque Theodecti tragoedia, quae inscribitur Mausolus, qua eum magis quam in prosa placuisse Hyginus in exemplis refert.

***) Quod in Euripide atque Sophocle post A. Guil. Schlegelium nuper O. F. Gruppe in libro Ariadne inscripto elegantissime demonstravit.

†) Arist. Poet. XIII, 7.

††) Athen. p. 222 sq.

mythi alicuius formam ex oblivione eruerent et tamquam novam proferrent. Exempli gratia laudo Theodectae Lynceum, cuius Aristoteles duobus locis *) mentionem facit, ut de argumento fabulae coniectura satis probabilis capi queat. Certum enim est, Danaum hic mori, alterum conservari, contra quam exspectatum erat: puerum aliquem capi, denique capitis iudicium alicui intendi. Jam vero Danaum non sua morte perire, apud neminem traditur poetarum, nisi quod Archilochus **) Lynceum narravit occiso Danao regno potitum esse, et Hypermnestram in matrimonium duxisse. Idem significat Schol. ad Eur. Hec. 874 ***); et Schol. ad Iliad. *ά* 42 ex Apollodori libro altero, quamquam cum nostro non consentiens, refert Danaum per filias curavisse fratris filios interficiendos, cum ex oraculo audiisset ab eorum uno sibi mortem illatum iri. Hanc igitur mythi formam, antiquiorem fortasse illam, et quam Aeschylus posthabuit, ****) Theodectes amplexus esse et rem ita instituisse videtur, ut Danaus perpetrata caede Hypermnestram vinculis teneat, ut est apud Ovid. Heroïd. XIV, quae cum Lynceum auxilium poposcerit, hic cum exercitu adveniens ipse quidem primum capiatur et a Danao in iudicium capitis vocetur, tum vero a suis liberatus Danaum morte afficiat, ipse rex creetur. †).

Et Theodectae quidem, quem Musae auxisse dicuntur, qui octies victoriae laudem reportavit, ††) qui corpore formosissimus, ingenio elegantissimus, ut Socratem Alcibiades, ita ipse *τὸν σεμνότατον* Aristotelem amore incendisse fertur, †††) quem mortuum Alexander magnus coluit, ††††) huic inquam plura sic feliciter

---

*) XI, 8. *καὶ ἐν τῷ Λυγκεῖ (ἐστὶ μεταβολή) ὁ μὲν ἀγόμενος ὡς ἀποθανούμενος ὁ δὲ Δαναὸς ἀκολουθῶν ὡς ἀποκτενῶν, τὸν μὲν συνέβη ἐκ τῶν πεπραγμένων ἀποθανεῖν, τὸν δὲ σωθῆναι.*

XVIII, 11. *ὥσπερ ἐν τῷ Λυγκεῖ τοῦ Θεοδέκτου δέσις μὲν τά τε προπεπραγμένα καὶ ἡ τοῦ παιδίου λῆψις· λύσις δὲ ἡ ἀπὸ τῆς αἰτιάσεως τοῦ θανάτου μέχρι τοῦ τέλους.*

**) Archil. fr. 131. Lieb. e Malalae Chr. l. IV. in.

***) *Λυγκεὺς δὲ σωθεὶς ἐξεδίκησε τοὺς ἀδελφούς.*

****) Herm. Opusc. II. p. 319 sqq. Welcker Trilogie p. 390 sqq.

†) Hermannus ad Poet. p. 104. illum qui moriturus est Aegyptum fuisse, Tyrwhittus Abantem credit, uterque si quid video minus recte, quum vel titulus fabulae evincere videatur de Lynceo rem agi.

††) Steph. Byz. v. *Φασηλίς* titulum conservavit, quem Athenienses eius monumento inscripserunt: (cf. Jacobs Anthol. XII. p. 176.)

ἥδε χθὼν κόλποισι Φασηλίτην Θεοδέκτην
κρύπτει, ὃν ηὔξησαν Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες.
ἐν δὲ χορῶν τραγικῶν ἱεραῖς τρισὶ καὶ δέχ' ἁμίλλαις
ὀκτὼ ἀκηρασίους ἀμφεθέμην στεφάνους.

†††) Athen. p. 566. e.

††††) Plut. Alex. 17. *οὐκ ἄχαριν ἐν παιδιᾷ ἀποδιδοὺς τιμὴν τῇ γενομένῃ δι Ἀριστοτέλην καὶ φιλοσοφίαν ὁμιλίᾳ πρὸς τὸν ἄνδρα.*

cesserint. Neque in tanta reliquiarum paucitate singuli omnes poetae quid recte quid secus fecerint demonstrare licet, hique nobis fines sunt statuendi, ut, quibus vitiis via iam magis patuerit, exponere studeamus. Saepe igitur ea re audientium fastidium vitare et novitatis gratiam sibi conciliare posse videbantur, si res iusto plures unius fabulae complexu continerent. *) Cognatum hoc est cum *πολυμυθίᾳ* illa, quam Aristoteles loco illo a criticis vexato (c. XVIII, 15—17) **) ab Aeschylo alienam esse dicit. Ubi, ut de titulis laudatarum aut vituperatarum fabularum taceam, ***) vereor ne Hermannus V. Cl. *πολυμυθίαν* istam minus recte ita interpretetur, ut de neglecta quae dicitur actionis unitate cogitet; quam cum in Euripideis quibusdam non iniuria vituperaverit, tamen ab hoc loco alienam esse ex relicuis Aristotelis verbis elucet. Cum enim epicam poesin per se esse *πολύμυθον* dicat, idem tamen in Iliade et Odyssea unam tantum esse actionem, †) singulasque ex iis, aut, ut summum, binas posse condi tragoedias demonstret, ††) rem hic significari necesse est, ut in epico carmine laudabilem, ita in tragoediis reprehendendam. Quae qualis sit perspicue ex capite XXIV intelligitur, ubi de discrimine quod inter tragicam et epicam poesin intercedat, accuratius disputans in epico carmine ait plura episodia locum habere, atque adeo varietate rerum commendari, cum singulae hae partes, aliter atque in tragoedia, iustam accipere possint magnitudinem.

Videamus iam de moribus personarum, quibus diligentius adumbrandis recentiores poetae tragici suam fortasse laudem consequi poterant. Verum ex quo Aeschylus, quamquam actioni ipsi plus quam personarum moribus tribuit, hos tamen et ipsos coloribus veris depinxit: porro Sophocles, unus omnium *ἠθικώτατος* poeta, totam fere actionem de moribus hominum pendere iussit, iam omnibus certe no-

---

*) At. Poet. X, 3. *τοιαῦται δὲ (ἐπεισοδιώδεις) ποιοῦνται ὑπὸ μὲν τῶν φαύλων ποιητῶν δι' αὐτούς· ὑπὸ δὲ τῶν ἀγαθῶν διὰ τοὺς κριτάς· ἀγωνίσματα γὰρ ποιοῦντες καὶ παρὰ δύναμιν παρατείνοντες πολλάκις διαστρέφειν ἀναγκάζονται τὸ ἐφεξῆς.*

**) Arist. Poet. XVIII, 15—18. *χρὴ δὲ, ὅπερ εἴρηται πολλάκις, μεμνῆσθαι, καὶ μὴ ποιεῖν ἐποποιϊκὸν σύστημα τραγῳδίας· ἐποποιϊκὸν δὲ λέγω τὸ πολύμυθον: οἷον εἴ τις τὸν τῆς Ἰλιάδος ὅλον ποιοῖ μῦθον· ἐκεῖ μὲν γὰρ διὰ τὸ μῆκος λαμβάνει τὰ μέρη τὸ πρέπον μέγεθος· ἐν δὲ τοῖς δράμασι πολὺ παρὰ τὴν ὑπόληψιν ἀποβαίνει· σημεῖον δὲ· ὅσοι πέρσιν Ἰλίου ὅλην ἐποίησαν καὶ μὴ κατὰ μέρος ὥσπερ Εὐριπίδης Νιόβην καὶ Μήδειαν καὶ μὴ ὥσπερ Αἰσχύλος, ἢ ἐκπίπτουσιν ἢ κακῶς ἀγωνίζονται.* cf Herm. de Niobe Opusc. III, p. 38.

***) Fortasse delende sunt verba ab altero ad alterum *ὥσπερ* ut a margine in alienum locum transscripta. Vide quae praeclare de huius libelli origine Herm. ad suam editionem praefatus est. Eodem capite §. 1 apud Hermannum delenda sunt verba *τοσαῦτα γὰρ καὶ τὰ μέρη ἐλέχθη*, quod quidem demonstrare hoc loco longum est.

†) Ibid. c. VIII, 3.

††) Ibid. XXIII, 1—7.

bilioribus, quas in mythis tragicis iuvenias, personis certa quaedam forma et suus quasi χαρακτήρ erat expressus: quem, ut vix poterant et spectatorum animis prae cepta opinione occupatis evellere, ita denuo accurate proponere vix operae pretium esse videbatur. Quamobrem iam Euripides eo confugit, ut illecebris extrinsecus petitis animos hominum mulceret. In summis enim aliis et admirabilibus, quibus excellit, virtutibus poeticis nulla re tamen maiorem sibi laudem quaesivit et paravit, quam quod eorum, qui magni aliquid patiuntur, internos animi sensus nobis exhibet, reconditosque perturbatae mentis recessus divinitus recludere videtur. Neque quisquam est adeo tardi et hebetis ingenii, qui in Polyxenae extremis fatis Hecubae dolore non et ipse tangatur, aut Medeae furore perterritus non persentiat, furens quid femina possit, tantumque abest ut hanc eius fronte coronam decerpere coner, ut in hac re ante omnes omnium gentium poetas Euripidi fortasse primas detulerim. Verum enim vero quia iusto plus suavissimo quidem huic delinimento tribuit, effecit ut ad id, quo maxime opus erat, minus fortasse attenderet, utque actio tragica apud eum non cum caussis suis necessario quodam vinculo cohaerere moribusque personarum congruere, sed propterea tantum fieri interdum videretur, ut vehementioribus vel mollioribus animi sensibus et perturbationibus pingendis locus esset.

Et posteriores, ut fit, Euripidis vitia magis quam virtutes imitati, fabulas plerumque ἀηθεῖς *) condiderunt, atque, intercluso iam in summis rebus, argumenti dico morumque inventionem, laudis aditu, partim, ut supra significavi, vehementiores animi affectus monodiis illis expressisse satis habuerunt, partim ad res leviores operam suam converterunt, ut, si minus re ipsa, tamen verbis et orationis cultu triumviros adaequarent. Rhetoricae igitur arti totos se dederunt, et ex Isocratis et Aristotelis disciplina ad Melpomenen accesserunt. **) Sed quia duo studiorum genera aegre aliter coniungi posse videntur, quin alterum ex altero aliquid in se trahat alieni, ut exemplum afferam, Theodectes non solum rhetoricam artem, mirum dictu, poetice vel potius metrice tractavit, si Suidae fides est habenda, sed etiam in tragoediis oratoriae virtuti iusto plus indulsit, et in summis tragoediarum discriminibus longas argumentationes et quasi orationes iudiciarias recepit. Et quemadmodum supra vidimus in monodiis dithyramborum poesin tragicae factam esse

---

*) Arist. Poet. VI, 15.

**) Ita Theodectes, v. Suid. s. v. Steph. Byz. s. v. φασηλίς. Dionysius quidem Halic. de Isaeo c. 19 hunc cum Theopompo aliis praeceptore multo minores in arte dicendi fuisse indicat. Non ignobile tamen inter rhetores eius nomen fuisse vel inde efficitur, quod fuerunt, qui Aristotelis libros de rhetorica ad Theodectem scriptos huic tribuerent auctori. Quint. Inst. II, 15. Cf. etiam Antiphanes in Caribus Athen. 134. d. et Arist. rhet. II, 20, 18 ubi eius apologia Socratis laudatur.

consimilem, ita in his disceptationibus et spinosis ratiocinationibus sophistae alteram tragoediae partem quasi suam sibi praedam tulerunt. Tales igitur maxime fabulae placuisse videntur, in quibus res in foro et apud iudices peragenda esset. Sic Bellerophontem nisi fallor contra Stheneboeae caluminas se purgantem apud Stobaeum legimus *) sic in Lynceo supra vidimus capitis iudicium, sic in Oreste **) Alcmaeone ***) Aiace †) eiusdem poetae simile quid invenimus. Nimirum famosa illa iudicandi libido, quam Aristophanes Vespis suis dudum exagitaverat, nondum exstincta atque adeo filiis hereditate quadam tradita erat. Et cum poetae, tragicae dignitatis immemores, spectatoribus gratificarentur, apparet, iure suo Aristotelem ††) conqueri, quod *ῥητορικῶς* magis quam *πολιτικῶς* diceretur in recentiorum fabulis. Veteres enim *πολιτικῶς* ea tantum in tragoedias receperunt, quae ad rem facerent, et abhorruerunt a iustae orationis modo. Ita interpretanda sunt Aristotelis verba. Quae qui aliter dicta putant, ut antiqui rem publicam patriaeque salutem in tragoediis maxime spectasse et attendisse dicantur, tantum abest ut meritam iis laudem deferant, ut posterioribus in hac re prudentiam et virtutem poeticam multo maiorem tribuant. Quamquam scio esse nunc apud nos, qui unaquaque vel Aeschyli et Sophoclis fabula non solum imaginem aliquam poeticam contineri opinentur, sed poetas quasi demagogorum satellites et ministros propterea tantum divina sua carmina panxisse putent, ut cives suos ad legem aliquam sive iubendam sive antiquandam permoverent. Verum enim vero, cum sobrie rem examinantibus appareat, aliquod interdum vel in emendatissimo carmine epico tragicove posse deprehendi temporis sui vestigium, quod sagaciter a viris doctis indagatum ad aetatem fabularum definiendam magna cum utilitate adhiberi queat; audiendum tamen etiam in hac re aureum illud: *μηδὲν ἄγαν*, et imitandum veterum poetarum exemplum, quorum summa laus sit, modum in omnibus tenuisse. Et ipse, ne nimius sim, vela hic contraham: quamquam enim multa praeterea sunt, quae in arte tragica

---

*) Stob. p. 126. ed. Leid. *ὦ καλλιφεγγῆ λαμπάδ' εἱλίσσων φλογός,*
ἥλιε, ποθεινὸν πᾶσιν ἀνθρώποις σέλας,
εἶδές τιν' ἄλλον πώποτ' εἰς οὕτω μέγαν
ἐλθόντ' ἀγῶνα καὶ δυςέκφευκτον κρίσιν,
ὅπου κατηγορεῖ μὲν ἐν λόγοισί μου
γυνή, πρὸς ὃν δ' εἴρηκε, τυγχάνει πόσις,
κρατοῦσι δ' οἵπερ καὶ κατηγοροῦσί μου.

**) Arist. Rhet. II, 24, 8. *δίκαιόν ἐστιν, εἴτις* (scr. *ἥτις*) *ἂν κτείνῃ πόσιν, ἀποθνήσκειν ταύτην, καὶ τῷ πατρί γε τιμωρεῖν τὸν υἱόν.* Fortasse *ταύτην θανεῖν θ' υἱόν τε τιμωρεῖν πατρί.*

***) Id. II, 23, 8. Dionys. ep. I, 12. p. 125 ed. Sylb, Euseb. praep. ev. X, 8.

†) Id. II, 23, 20 et 25. III, 15 fin.

††) Poet. VI, 28.

corrumpenda momentum aliquod habuerunt, tamen eae res partim sunt tales, ut oratione nostra vix indigeant, partim accuratius desiderant studium plusque temporis ac curae, quam homini impendere licet, plurimis et variis occupationibus distracto. Neque ignoro, in his quae de proposita quaestione commentatus sum, nihil magnopere novi aut reconditi in lucem esse prolatum. Placuit tamen hac scribendi opportunitate oblata et discipulis nostris aliquam antiquitatis partem aperire et illustrare ad quam rarius accedunt, et ipse in scholae umbra plerumque latens teneramque maxime aetatem literarum antiquarum elementis impigre erudiens aliquando in apricis doctrinae elegantioris campis liberius spatiari cupiebam.

Schulchronik.

I. Lehrplan.

Der Lehrplan ist im Wesentlichen unverändert geblieben. (S. die Programme des J. 1836 und 1837.) Um jedoch bei der Mannigfaltigkeit der Lehrgegenstände soviel wie möglich Einheit im Unterrichte zu bewirken, hat man es räthlich befunden, die Bestimmung zu treffen, dass die Schriftsteller, die von einem Lehrer in derselben Classe bisher neben einander erklärt worden sind, künftig nach einander erklärt werden. So wird der Director in den beiden Semestern des künftigen Schuljahrs im ersten Vierteljahre in 4 Stunden Horatii sermonis, im zweiten Taciti historiae erklären und ebenso im Griechischen mit der Lectüre des Sophocles und Thucydides abwechseln. Auf gleiche Weise wird der Conrector Junghans in Secunda die Lectüre der Aeneis des Virgilius und der Briefe des Cicero, in Tertia der Conrector Schmalfuss die Lectüre des Cicero de senectute und des Julius Caesar leiten. Eine vollständige Durchführung dieses in neuerer Zeit so eindringlich empfohlenen Princips (siehe Circulare des Königl. Preuss. Ministerii der geistlichen und Unterrichtsangelegenheiten vom 24. October 1837. Preuss. Kameralist. Zeitung 1837. Nr. 52.) in Vorschlag zu bringen, hat die Direction um so mehr Bedenken getragen, je fester bei allen Lehrern der Anstalt die Ueberzeugung steht, dass bei der Vertheilung der Lectionen unter die Lehrer zwar allgemeine Grundsätze als Norm aufgestellt, aber denselben die Individualität der Lehrer nicht zum Opfer gebracht werden dürfe, und dass die jedesmaligen Verhältnisse und Bedürfnisse der Anstalt auf das Sorgfältigste beachtet werden müssen.

II. Gymnastische Uebungen.

Am 21. Juni des vorigen Jahres ward uns die Freude, die für das Johanneum bestimmte gymnastische Anstalt zu eröffnen. Der hochlöbliche Magistrat der Stadt war mit gewohnter Liberalität den Wünschen vieler Familienväter unserer Stadt und den Lehrern der Schule entgegen gekommen und hatte 150 Rthlr. zur Anschaffung der Geräthe bewilligt und verordnet, dass von den mit Genehmigung ihrer Eltern an den Uebungen theilnehmenden Schülern alljährlich zur Erhaltung der Anstalt ein Beitrag von 8 bis 12 Ggr. erhoben werden solle. Die definitive Genehmigung des Königl. Oberschulcollegiums erfolgte unter dem 15. Juli desselben Jahres. Zum Uebungsplatze dient ein geräumiger, mit Bäumen rings umgebener, zu dem eine Viertelstunde von der Stadt gelegenen von Bülowschen Gute Kaltenmoor gehöriger Platz. Die Schüler, welche das zwölfte Jahr überschritten haben, üben sich unter der Leitung von Vorturnern, die aus den Schülern selbst gewählt sind; die jüngern erhalten in leichtern gymnastischen Uebungen Unterweisung durch drei Unterofficiere der hiesigen Garnison. Die ganze Anstalt ist auf das Engste mit der Schule verbunden und steht unter derselben Direction. Die Aufsicht auf dem Uebungsplatze führen nach einem bestimmten Turnus je zwei Lehrer und zwei Mitglieder einer aus angesehenen Bewohnern der Stadt, meistens Familienvätern, gebildeten Committee, zu welcher der Stadtphysicus, Herr Medicinalrath Dr. Münchmeyer